

beneficio, gratia & instinctu placuit, in eo, quo ad
verba & ad res attinet, constanter permanent.
Ab alijs vero quod obycitur de exemptis quibus-
dam particulis, quibus improbantur secus docen-
tes de cena, quam nostra Ecclesia ex verbo Dei
docent, illud tale est, ut facile veniam mereatur
apud eos, qui audierunt, quo consilio & animo id
factum sit. *Mihi* certe ante aliquot annos que-
renti ex *Uiris Magnis*, non infimum in Imperij
consultationibus locum tempore illo habentibus,
querenti inquam, multis alijs, quorum nonnulli
adhuc superstites sunt, presentibus, de causa, re-
sponsum & satisfactum est, videlicet, *Landgra-
nium Heluetijs* aliquando se adiungentem, con-
cepisse optimam spem de voluntate ipsorum, &
accessione ad unanimes Augustanam Confessionem
amplectendam & asserendam, si modo improba-
tio & damnatio sententia eorum, quam hactenus
habuissent, eximeretur, atq; hoc ipsum clementer
perscripsisse ad *D. Philippum*, & petisse, exem-
plaria alia, omissis illis particulis, imprimi, num
vel hac ratione meliores illi fieri, & ad unanimes
confessionem adduci possent. Factum igitur hoc
fuit animo & consilio optimo, & optime sperante
de ijs, de quibus spes & Principes & preceptores
nostros fefellit: Quare si in spe optima erratum
quis esse dicat, nostra pace sane dicat, sine vera do-
ctrina, & nostrorum preceptorum, ac piorum
doctorum violatione & infamatione. Secus enim

H 2

docentes